

devinciret sibi homines, quo non modo in eum crederent, verum etiam eum summe diligere. Qui sponsæ amorem ambit, varie se adornat, inter alia digitos annulis auro et gemmis rutilantibus cingit, ut amorem sponsæ captet. Pari modo Christus ut homines ad fidem et amorem suum pelliceret variis miraculis, summum amorem et benevolentiam spirantibus, manus suas, id est, opera sua condecoravit; ut hinc in amorem ejus raperemur ac cogitarem: Heu qualis et quantus est iste, qui talia efficere potest? Quam bonus et benignus? Quam humanus et misericors, qui tam miro modo omnium miseretur, omnibus succurrit, omnium plagas abstergit?

Tertio, ut doceret homines, qua de causa in mundum venerit, nimirum ut eriperet nos ex omnibus miseriis corporis et animæ. Hoc enim est, quod Isaias dixit cap. LIII. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*; et ex ipso Matthæus cap. VIII. *Ipsæ infirmitates nostras accepit et ægrotationes nostras portavit*. Intellige tam spirituales quam corporales; spirituales, id est, peccata, eisque debita supplicia, quæ in cruce pro nobis exsolvit; corporales per compassionem, qua motus fuit ad eas auferendas, et morbos sanitati restituendos. Cæterum per corporalium ægrotationum curam manu ducere nos voluit ad spiritualium, utpote longe periculosiorum curam admittendam, de quibus potissimum loquitur Isaias; quarum proles sunt morbi et ærumnæ corporis. Dum enim morbi videbant se a Christo tam benefice et miraculose curari, credebant in eum, ab eoque excitati dolebant et compungebantur de peccatis suis, itaque eorum veniam et gratiam impetrabant. Unde multi docent omnes eos, quos in corpore Christus sanavit, etiam in animo ab eo sanatos et justificatos esse.

IV. Quæritur, itane pauperibus tantum Christus evangelizavit? Respondeo primo: S. Ambrosius, Origenes et Theophylactus in Luc. cap. IV. per pauperes intelligunt homines, præsertim gentiles, qui legibus et prophetis, fide et salute verboque Dei destituti erant, præsertim qui tales se esse agnoscebant; atque his imprimis Evangelium attulit Christus.

Secundo: S. Hieronymus hic, Tertullianus lib. IV. contra Marcion. cap. XIV. Eusebius l. III. demonstr. I. intelligunt pauperes spiritu; his enim Christus imprimis evangelizavit, dicens: *Beati pauperes spiritu*.

Tertio: alii intelligunt proprie pauperes, et qui tenui sunt fortuna, quales erant apostoli et plebs, quæ Christum sequebatur, ejusque verbum audiebat, cum e contra divites Chris-

tum spernerent et riderent. Fuit enim prædicatio Christi de contemptu opum, voluptatum, honorum, de mortificatione et cruce, etc. quæ ad pauperum stomachum et solatium faciunt, displicent vero divitibus mundique sectatoribus. Ut ergo prudens mercator non exponit merces suas curiosis, sed iis, quos intelligit empturos; ita Christus suum Evangelium non proposuit Herodi, qui ex mera curiositate sperabat signum ab eo videre, sed tacuit constanter; pauperibus proposuit quia empturos vidit.

Quarto: per pauperes intelligere possumus mansuetos uti legitur in Isaiâ loco cit. ex Hebr. versione: *Ad annuntiandum mansuetis misit me*. Quotquot ergo mansueti et tractabiles sunt, Evangelii capaces sunt. Tales vero imprimis sunt pauperes; quia paupertas cogit eos cervicem submittere, pati et precari: deinde alii qui per adversa cruciantur, et mansuefiunt.

V. Quæritur, cur post discessum discipulorum Joannis, non coram eis commendat Joannem Christus? Respondeo primo: ne si coram eis laudaret, per adulationem videretur eum laudare, ac ne verba ejus blandientis verba putarentur. Fugit ergo Dominus adulationis etiam umbram.

Secundo: ne discipuli Joannis plus æquo sentirent de magistro. Hunc enim Christo majorem reputabant; plebs contra minorem æquo Joannem existimabat: verbi gratia quasi mutabilis foret, ac jam de Christo aliter sentiret, vel alias ob causas. Ibi Scylla, hic Charybdis: utraque vitanda. Ergo Christus medium tenens, magnopere quidem commendat Joannem coram plebe; sed non coram discipulis ejus; ut ita hi non æquo majorem, illi non æquo minorem reputarent.

VI. Quæritur, quomodo Joannes plusquam propheta? Respondeo plures ob causas, videlicet quia alii propheta, Isaias et Malachias de ipso vaticinati sunt; ille cap. XL. hic cap. III. Quia prophetabat in utero matris, sua exultatione indicans matri præsentiam Christi et matris ejus: quia Christum non solum prædixit, ut alii; sed etiam digito monstravit: quia Christi præcursor, baptizator et prædicator: quia baptismi inventor; quia præco regni cælorum, etc.

VII. Quæritur, cur Joannes vocatur angelus? Respondeo duas potissimum ob causas. Primo ob vitæ sanctitatem et angelicam puritatem. Secundo ob angelicum officium, quod erat nuntiare mundo Salvatoris adventum. Sed has et alias plures causas vide in festo S. Joannis.

AUCTUARIUM.

CONCIO I.

QUIBUS IN REBUS ALIQUI IN GHISTO SCANDALIZATI SINT, UNDE MAGIS EUM AMARE DEBEBANT.

Scandalizati sunt Judæi et gentiles, sed stulte.— I. In conversatione Christi.— II. In verbis Christi.— III. In ejus operibus et miraculis factis in sabbato.— IV. In ejus paupertate et humilitate.— V. In ejus morte et cruce.

THEMA.

Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.
Matth. XI.

Quando quis commune et grave periculum evadit beatum illum dicere solemus, v. g. qui in acri prælio vel naufragio salvus evasit. Quid ergo sibi vult, quod Christus beatum illum dicit, qui in ipso scandalizatus non fuerit? Quid enim scandalum, nisi lapis offensionis seu offendiculum? Unde Syrus vertit: *Felix ille, qui non impegerit in me*. Ergone Christus hominum Salvator potest esse alicui lapis offensionis? Et quidem permultis, ut felix sit dicendus qui in eo non impingit? Scio quidem ipsum lapidem appellari ab Isaiâ c. XXVIII. et S. Petro epist. c. II. verum *Lapide summum, angularem, electum, pretiosum*, qua vero ratione impingas in eum lapidem, qui in summo ædificii est? Quomodo in angularem, muris inclusum? Quomodo in electum, publicis viis remotissimum, et scrinio vel aureis annulis inclusum? Quomodo in pretiosum, qui nusquam fere major nunc avelana reperitur? Verius quidem vero est, talem lapidem esse Christum, et tamen nihilominus impegerunt in eum Judæi et gentiles multi. Sed qua tandem in re? Audiamus.

I. In ejus conversatione; quod non esset rigidissima, qualis erat Joannis Baptistæ, sed communis et accommodata moribus dominorum consuetis, uti Scribæ et Pharisæi in malo obstinati, de quibus Christus Matth. XI. post factam Joannis legationem subdit: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt: demonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus*. Quod explicans S. August. l. XI. contra Faust. cap. XXX. ait: « Joannes dictus est non manducans neque bibens: quia illo victu, quo Judæi utebantur, ille non utebatur. Hoc ergo nisi Dominus uteretur, non in ejus comparatione

manducans bibensque diceretur. » Indicant ergo Christum vitam duxisse cæteris fere communem et socialem, non austeram valde et eremiticam, qua de causa ipsi magis grati et addicti esse debebant.

Primo, qui cum aliis conversari debet; uti debuit Christus, « Convenientissimum est, ut se eis in conversatione conformet, secundum illud Apost. I. ad Cor. IX. Omnibus omnia factum sum. Et ideo convenientissimum fuit ut Christus in cibo et potu communiter se sicut alii haberet, » inquit D. Thom. III. p. q. XL. art. II. Eodem spectat quod Nicol. pontif. in c. exiit qui seminat, de Verb. signif. in VI. docet: « Cum Christus omnibus sit propositus in exemplar virtutis, decuisse, ut omnes, et fortes et infirmi in eo haberent, quod imitarentur; atque in illum intuentium nullus posset de virtute consequenda desperare. Quare summæ charitatis atque adeo perfectionis fuit, quod omnibus omnia fieri voluit » Confirmatur ex Apostolo, ad Hebr. II. inferente: Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis Pontifex, h. e. ut suam misericordiam suavius et uberius in alios effunderet, munusque pontificis fideliter obiret. Quare venatores et aucupes viridibus se vestiunt? Ut viridi pratorum et silvarum, quas pervagantur, colori similes facti, feras et aves non absterreant ac fugent, sed ad se alluciant. Rursum cur venator, dispositis circa silvam omni ex parte retibus et excubitoribus, medius ipse cum clamoribus et canibus silvam permeat? Ut tam iis qui in dextra, quam iis, qui in læva parte stant cum venabulis, feras in retia cogat, et per totum venationis circum exaudiat. Eodem fine Christus mediam vivendi viam, hoc est, non nimis austeram, uti Joannes, neque laxam elegit, ut omnibus serviret, omnes lucrifaceret.

Secundo, ut ostenderet, quod « In omnibus talibus, (cibo, potu, vestitu, etc.) non usus rerum, sed libido utentis in culpa sit, ait S. August. l. III. de doctr. Christ. c. XII. Neque enim ullo modo quisquam sobrius crediderit Domini pedes ita unguento pretioso a muliere perfusos, ut luxuriosorum et nequam hominum solent, quorum talia convivia detestamur. » Ita August. Permisit ergo Christus juxta morem patriæ unguento, non tamen immoderato perungi pedes suos; quia id genti Hebræorum

consuetum, et cum tali moderamine inculpatum erat, ut discerent aulici non damnari eorum vestes molliores et pretiosiores : divites non reprehendi eorum opes : nobiles et praelati, non velari eis mensas lautiores ; sed posse eos cum illis honeste vivere et salvari, si moderate et bono fine utantur.

II. In ejus verbis, quod se Filium Dei assereret. Ita Joan. VIII. cum Christus se lucem mundi dixisset, objiciunt ei Pharisei : *Tu de teipso testimonium perhibes ; testimonium tuum non est verum*, h. e. legitimum, ut credi et recipi debeat. Rursum Matth. XXVI. quando a Caipha adjuratus et interrogatus, an esset Christus ; ipse clare et candide respondit, se esse Christum, cum ad hoc responsum omnes in genua procidere, ipsumque adorare deberent, Caiphas scindit vestem et blasphemasse eum clamat, reliqui assessores reum mortis pronuntiant. Iterum hic velut caeci in hunc lapidem impingunt. Nam quod ad primum attinet Christus factis potius, quam verbis Dei Filium se ostendit, uti in hodierno Evangelio, in quo demonstrat per miracula a se patrata impletum esse in ipso, quod de Christo vaticinatus est Isa. c. XXXV. illis verbis : *Deus ipse veniet et salvabit nos, tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc sicut sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*. Et c. LXI. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, etc.* Ad hoc enim vaticinium alludit Dominus, vel potius citat illud, cum ait : *Renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis : caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*. Quomodo modestius simulque efficacius respondere potuisset, ut se Christum esse comprobaret ? Facta sua consideranda et cum Isaiae vaticinio componenda proponit, ut inde velut testimonio, omni exceptione majori, veritatem indagent. Noluit Christus unquam dicere : Ego sum Dei Filius, aut Christus, tum modestiae causa, ne jactare se videretur ; tum ne Judaeos magis irritaret, sibi jam infensos : sed facta sua ostendit, et testimonium Patris sui, qui in ipso et per ipsum opera faciebat, qualia nullus unquam fecerat : deinde testimonia prophetarum. Falsum igitur erat, quod ipse de se solus testimonium perhiberet. Unde Joan. V. ait : *Si ego de meipso (solus scilicet) testimonium perhibeo, testimonium meum non est verum* (h. e. legitimum), *alius est, qui testimonium perhibet de me*. Quid agat Christus Dominus ? Messiam se neget, aut nullo modo asserat ? Tunc nemo in eum credet, sicque frustra venit. Asserat clare et aperte ? Blasphemum et jactabundum clamabant Judaei, et timendum erat, ne et alii omnes

testimonium illud de vana gloria suspectum haberent. Solum igitur hoc supererat, ut se alienis testimoniis solidissimis et factis irrefragabilibus, Messiam demonstraret ; id quod ipse abunde praestitit. Hinc ergo tantum abest, ut scandalum sumere possimus, ut vel maxime potius inde aedificari, accendi et confirmari in fide et amore ejus debeamus. Sic enim se ostendit et videndum praebuit sponsae suae Ecclesiae, quasi prospiciens per cancellos, uti loquitur et agnoscit sponsa, Cant. II. nimirum modeste et discrete, ne seipsum praedicare velle videretur. In judicio tamen a Caipha juridice interrogatus, aperte se asserere Christum debuit, tum ut reverentiam divino nomini, per quod adjurabatur, exhiberet ; tum ut eo responso omnium excusationem tolleretur, ne quis dicere posset, eum juridice interrogatum tacuisse, vel ambigue respondisse. Quare propter hoc tam clarum responsum obligamur ei omnes multo maxime, quia per id certi et securi de Christi Domini adventu facti sumus.

III. In ejus operibus et miraculis, quorum aliqua in sabbatis faciebat. Hinc enim dicebant Joan. IX. *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*. Verum stulte et impie. Nam primo lex sabbati prohibebat tantum opus servile, non liberale ; multo minus divinum, siquidem et Deus in sabbato operatur conservando et gubernando omnia. Miracula autem facere erat opus liberale, imo divinum juxta id Joan. V. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Secundo non prohibebat, quae sunt de necessitate salutis, seu corporis, seu animae. Hinc enim convincit Dominus ipsos Judaeos, quod in sabbatis ducerent asinos et boves suos ad aquatum. Luc. XV. eriperent lapsos in puteum, Luc. XIV. Quo ex capite licebat Christi discipulis sabbato fricare spicas ad comedendum, non secus ac David et sociis edere panes propositionis, laicis alioquin vetitos, Matth. XII. Tertio non prohibebat ea, quae ad Dei cultum pertinent, sed jubebat potius. Unde ipsimet Hebraei circumcisionem in sabbato administrabant. Hinc ergo poterat etiam paralyticus ille sanatus a Christo, lectum suum tollere sabbato et portare in domum suam ; quia ad gloriam Dei spectabat manifestare miraculum. Denique his tantis miraculis demonstravit Christus se a Deo venisse, adeoque Dominum esse sabbati, qui in eo dispensare, et quilibet facere posset ; uti intellexit et insinuavit Judaeis vel paralyticus ille, cum dixit : *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum*, Joan. V. quasi diceret : Si potuit me divina virtute sanare, potuit etiam in sabbato dispensare, velut vir divinus, qui nihil aget, quod Deo displiceat.

IV. In ejus paupertate et humilitate. Hic erat primarius lapis, in quo impingebant carnales Judaei, quia expectabant Messiam cum ingenti apparatu, gloria et divitiis adventurum, plusquam Salomonem ; Christum autem videbant esse pauperem et humilem filium, ut putabant, fabri : a vili oppido Nazareth oriundum, etc. Impingebant et Platonici, ad quos S. Augustinus l. X. de civ. c. XXIX. « Quid causae est, inquit, cur Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter venit, et vos superbi estis ? » Hunc jacebat hic lapis offensionis, ideo in illum incurrebant : in sublimi positum optabant. Typus Christi hac in re fuit rex Saul, quando multis clamoribus, petierant Hebraei et impetrarunt tandem regem ; cumque eis datus esset Saul, corporis proceritate et decore insignis quidem, *Altior universo populo ab humero sursum*, conditione tamen rusticus, et ex minima tribu natus, proceres imprimis Judaeorum, deinde multi ex plebe filii Belial, discesserunt ab eo et despexerunt eum, dicentes : *Num salvare poterit nos iste ? neque attulerunt ei munera* : I. Reg. X. Ita prorsus Judaei, postquam Messiam tamdiu expectaverant, tandemque acceperunt, proceres imprimis gentis et divites cum majore parte populi, videntes quidem eum sanctitate, sapientia et miraculorum virtute omnibus prophetis longe superiorem, interim tamen pauperem et in vili habitu, noluerunt agnoscere, sed abierunt et despexerunt eum. At vero quam stulte et quam temere ? Tanto enim magis eum amare debebant, quanto pro ipsorum salute pauperior et humilior venit ; sicut S. Augustinus hom. XXXVI. et l. ait : « Sponsus quanto magis deformis nobis commendatur, tanto charior, tanto dulcior factus sponsae : propter quod et avertit se. Avertit se ne illum intelligerent illi, qui eum crucifigebant. » Et S. Bernardus ser. I. de epiph. « Quanto pro me vilior, tanto mihi carior. » Quod enim tali conditione pauper et non instar Salomonis opulentus venerit, nostro bono fecit : primo, quia in hunc mundum venit, ut nos doceret viam salutis, juxta id Ps. II. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus, praed. cans praecceptum ejus*. Et Isa. XXX. *Erunt oculi tui videntes praecceptorem tuum*. Quomodo autem munere isto recte fungi posset, si bonis temporalibus onustus et curis terrenis intentus fuisset, quomodo ad pauperes, miseros, fractos, humiles, rusticos, mendicos, parvulos docendos ; decenter se demittere, et cum eis agere, regia in pompa et splendore ? Quomodo aliis paupertatem, humilitatem, contemptum, obedientiam suaderet, ab his omnibus longissime remotus ? Quomodo non praedicatio ejus cupiditati adscriberetur, si divitias admitteret ? Quare sicut Moyses velare debuit

faciem suam, quando legem populo promulgabat, quod splendor vultus ejus audientium oculos perstringeret et terreret, ne ad eum prope accedere auderent, Exod. XXXIV. v. ult. ita etiam Christus cum omnibus agere, ut verbum Dei auribus hominum suaviter instillare posset, voluit, quin et debuit, non solum dotes corporis sui, sibi alioquin debitas, velare et abscondere, verum etiam splendorem et majestatem, opes et pompam a se amoliri. Quis non videt, quantum ipsi propter hoc obligemur ?

Secundo, quia venit, ut dux viae nobis esset ad vitam aeternam, juxta id Matt. II. *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel*. Debebat ergo praere etiam populo suo ; ut animaret sectatores suos ad sequendum se. Via vero caeli securissima est paupertatis, humilitatis, patientiae, obedientiae. Quomodo per hanc promovisset homines, per se ad fastum et cupiditatem, voluptatem, et libertatem propensos, si ipse exemplo suo non praevississet ? Quomodo tres animae nostrae hostes potentissimos, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, et superbiam vitae debelasset, nisi per oppositas virtutes, paupertatem, patientiam, humilitatem ? Ad haec cum hominis felicitas, etiam juxta antiquos philosophos multos, in contemplatione et amore summi boni consistat, quomodo Christus ea assumeret, quae homines a fine illo beatissimo magnopere impediunt ?

Tertio venit, ut sua passione homines redimeret. Qua vero ratione id poterat perficere, constitutus in majestate, potentia, opibus, honoribus ? Quis in tali statu illi non pareret ? Quis invadere auderet ? Quis superare posset ? Ut taceam, quod sponte, non coacte pati debuit. Quare sicut Codrus Atheniensium rex, ex Apollinis oraculo, servare Athenas non poterat, nisi ipse hostili gladio occumberet : occumbere autem (publicato jam oraculo, et hostium edicto, ne quis Codrum occideret) non poterat, nisi vestem mutaret ; quo facto velut gregarius miles ab hoste occisus est, teste Val. l. V. c. VI. Ita etiam Christus, si regiam Messiae majestatem praese tulisset, neque daemones ei mortem machinati fuissent, neque Judaei intulissent : sic redempti non essemus.

Quarto, venit ut mundum plane jam perversum reformaret, et sibi subjiceret : quod ut opus divinum, non humanum appareret, novis et miris armis aggredi debuit. Unde Theodotus Ancyranus episc. in orat. de nativ. ait : « Si gloria stipatus fuisset et divitiis multis circumnictus accederet, dicerent utique infideles, quoniam divitiarum largitas mutatione orbis terrarum fuisset operata. Si maximam romanam elegisset civitatem, potentiam civium, mutationem orbis terrarum putarent. Si filius

fuisset imperantis, potestati utilitatem adscribe-
rent. Sed quid fecit! Omnia paupera et vilia ele-
git, omnia mediocria et plurimum obscura, ut
divinitas sola cognosceretur orbem transfor-
masse terrarum. » Hinc de seipso dixit Isa. c.
LIII. *Ascendet sicut virgultum, et sicut radix
de terra silienti*: h. e. de matre pauperula
parvulus pauper nascetur, *Non est species, ne-
que decor*, quia decor ejus latebat sicut radix
in terra; unde tamen progignitur arbor pul-
chra, umbrosa, fœcunda, h. e. Ecclesia per to-
tum orbem diffusa, ut exponit S. August. serm.
XXXVI. et L.

V. In ejus morte et cruce, quæ *Judæis quidem
scandalum, gentibus autem stultitia fuit*, I. Cor. I.
Sed prorsus stulte et absque ulla causa.
• Inde contra auctorem vitæ homo scandalum
sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit.
Nam tanto Deus ab hominibus dignius honoran-
dus est, quanto pro hominibus et indigna susce-
pit, ait S. Greg. hom. VI. quæ est in hod. Evang.
Primo enim hoc egit divino consilio, ut charitatem
suam erga nos demonstraret, et vel hac ratione,
quos aliis viis frustra sæpe tentarat, sibi nos
conciliaret, dum mortem nobis decretam in se
suscipere voluit. Quis in tantum amatorem non
vicissim amore mutuo rapiatur? Quis enim alius
facile pro altero vitam suam ponit, et quidem
per tot ignominias ac cruciatus? Obtulerat qui-
dem se Petrus ad moriendum pro Christo: *Animam
meam pro te ponam*, sed temere et eva-
nide nesciens quanta res, et quam arduum id
esset, unde audiit: « Animam tuam pro me
pones, q. d. itane facies pro me, quod ego non-
dum pro te? Præire potes, quo sequi non po-
tes? Audi quid sis: Non cantabit gallus, do-
nec ter me neget; » ait S. Augustinus tract.
LXVI. in Joan. XIII. Repertus quidem et Sam-
son fuit, qui, ut Philistinorum hostilem exerci-
tum a gente sua amoliretur, passus est se vin-
ciri a suis, ut traderetur hostibus, ne tota gens
ab illis extrema pateretur. Inseruit ergo Sam-
son valida illa brachia fortesque manus suas in
funes et vincula amore patriæ suæ. Verum cum
in conspectu hostium expositus esset, illique
cum ingenti furore ac clamore in eum velut
capitalem hostem suum incursarent, tantum
furorem in se grassantem non sustinuit, sed
ruptis vinculis se defendere, hostesque ipsos
cædere quam ab ipsis cædi maluit, Jud. XV.
Samson ergo cum adhuc liber, sanus et integer
corpore esset, (postea enim captus et cæcatus
libens pro suis mortem appetiit,) mori pro gen-
te sua timuit: Christus Dei Filius pro servis
suis sanus, vegetus ac juvenis mori minime du-
bitavit. Quis hunc liberatorem non toto corde
amet?

Secundo, ut peccati gravitatem, et in eo pu-

niendo divinæ justitiæ severitatem, quam homi-
nes nequaquam satis apprehendunt, sua morte
tam dira et ignominiosa declaret. Quis enim vi-
dens plecti a rege filium unicum diro supplicio,
propterea solum, quod pro captivis dimissis va-
dem se exhibuerit, non animadverit maximorum
scelerum illos fuisse reos et capitales patris hos-
tes? Quando Saul audiit Naas regis Ammonita-
rum in viros Jabes Galaad, homines gentis suæ,
tyrannidem, qua omnium oculos dextros eruere
parabat, adeoque vitam eorum petebat, zelo et
indignatione correptus par boum suorum in
frusta concidit, et dissectas partes per omnes
Israelitarum terminos misit, cum interminatione,
quod nisi cum rege suo ad ultionem de hosti-
bus sumendam se armarent, idem bobus ipso-
rum futurum esset. Nec potuit alio potentiore
modo subditorum accendere animos; *Invasit
enim timor Domini populum, et egressi sunt quasi
vir unus*; ad pugnandum scilicet contra Am-
monitas, et plectendam eorum tyrannidem. I.
Reg. XI. Non dissimili modo Deus, ut mundo
demonstraret quanta tyrannide premeret homi-
nes Naas, h. e. serpens (id enim sonat Naas) ille
tortuosus, peccatum (quod homines spoliare solet
oculo dextro, visionis beatificæ scilicet seu, ut
ib. S. Gregorius M. ait? *Intuitu æternæ clarita-
tis*, ac proinde eos ad execrandum et plectendum
in se hostem illum excitaret, quid egit? Zelo
plane inauditum Filium suum unicum et innocen-
tissimum, flagellis concidit et crucifigi fecit,
adeoque morte turpissima et acerbissima quasi
dilaniavit. Quodnam aliud, obsecro, potentius
atque efficacius excogitare poterat medium ad
inflammandos homines odio peccati?

Tertio, ut per crucis scandalum et stultitiam
confunderet mundi gloriam et sapientiam. Que-
madmodum enim Samson ille fortissimus post
tam multa heroica sua facinora et victorias de
Philisthæis obtentas, permisit quidem se a suis li-
gari et tradi Philisthæis: sustulit tamen illico pro-
brum illud, quando fortia illa vincula et funes ve-
lut stuppam rupit, inventaque asini maxilla stravit
mille Philisthæos, Judi. XV, sicque ad oculum
demonstravit, se plusquam humanis adeoque
divinis viribus pollere: ita etiam Christus licet
post tot argumenta suæ divinitatis, Judæis os-
tensa, permiserit se ab eis ligari et tradi genti-
bus ad crucifigendum, mox tamen sustulit to-
tum illud crucis probrum, quando vincula mor-
tis dirumpens (et *Solutis doloribus inferni*:
Hebr. et Syr. *Solutis funibus inferorum*) resur-
rexit a mortuis, et ea, quæ mundo stultitia est,
cruce, velut asini mandibula stravit, et prostra-
vit omnes gentiles cum eorum fanis et idolis.
Qua quidem inaudita pugnandi ratione plusquam
hominem, adeoque Deum se satis superque de-
monstravit. Quamobrem bene Apost. I. Cor. I.

dixerit: *Prædicamus Christum crucifixum, Ju-
dæis quidem scandalum, gentibus autem stulti-
tiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis
Christum Dei virtutem* (h. e. potentiam) *Dei
sapientiam*. Quia, ut explicat S. Hieron. « Intel-
ligebant quidem credentes Judæi et gentes vir-
tutem Dei esse, quia devicta morte hominem
revocavit ad vitam: et sapientiam, quæ nos a
dominatione diaboli liberavit, quod ante per
incredulitatem intelligere non valebat. » Et in
procem. ad I. III. comm. ad Galat. « Philosophi
qui sapientiam venditabant, nihil hominibus per-
suadere potuerunt; at Apostoli crucem, scan-
dali petram, imbecillitatis atque ignominie si-
gnum prædicantes totum orbem subjugarunt.

Quarto denique, ut quando quidem ipse hu-
manam naturam induere voluit, humanas nos-
tras miseras, extra solum peccatum; per om-
nia degustaret quo nos querulos et impatien-
tes ad eas facilius perferendas suo exemplo sti-
mularet. Sic prudens belli dux, ut milites suos
animet ad erigenda valla et excavandas fossas,
et ipse in fossam descendit ac lignem ap-
prehendit una cum eis fodiens: sic amans
ægri medicus, ut venæ sectionem refugienti
persuadeat, et ipse in conspectu ejus venam sibi
secari patitur. Itaque « Tam pessimam mortem,
ait S. Anselmus in Epist. ad Philip. cap. II. Sal-
vator elegit, ut omnem mortem occideret. » Et S.
August. in Psal. CXL, « Utdiscipuli ejus (quin et
omnes Christiani) mortem non modo non time-
rent, sed nec genus mortis horrescerent. » Crux
enim vel sola manus pedesque secat ut gladius,
corpus distendit ut aculeus, lacerat ut ungula,
laniat ut bestia, urit cruciatque ut focus, adeo-
que lento quasi igne consumit. Quemadmodum
ergo S. Xaverius nusquam misit patrem aliquem
societatis, ubi ipse prius non fuisset: ita Chris-
tus Dominus omnis generis dolores prius degus-
tavit, quam eas propinaret martyribus et aliis
miseris atque oppressis; ne quis cogitaret eos
non ad vitam et salutem, sed ad mortem et per-
ditionem tendere atque terminare. Quod idem
S. August. bene advertit I. de agone Christ.
cap. XI. « Nolite, inquit, timere contumelias, et
cruces et mortem, quia si nocerent homini, non ea
pateretur homo, quem suscepit Filius Dei. » Tan-
tum igitur abest, ut scandalum alicui crux esse
possit aut debeat, ut potius calcar aureum et
stimulus sit vehementissimus ad amplectendam
cruem et omnem tribulationem. Non enim
est discipulus supra magistrum, nec potest jam
quisquam dicere, se plus pati aut laborare
quam passus sit dux noster: *Nec habemus pon-
tificem, qui non possit compati infirmitatibus
nostris, tentatum autem per omnia pro similitu-
dine absque peccato*, ut ait Apostolus ad Hebr.
IV.

Vidimus quam immerito, quam temere et
stulte impegert in Christum Judæi et gentiles;
qui cum lapidem illum angularem, ambos ipsos
in unam Ecclesiam convocantem, ac demum in
cœlestem beatitudinem evocantem non audire
tantum, sed obviis etiam ulnis amplecti et exos-
culari debuissent, suis pedibus truserunt et
sese repulerunt, adeoque effecerunt, ut gemma
pretiosissima fieret eis petra scandali et lapis
offensionis, a quo conterentur. Nos vero qui
pestem hanc agnoscimus esse lapidem angula-
rem, summum, electum, pretiosum, unicum
munimentum et ornamentum nostrum, quanto
plus a Judæis spretum esse novimus, tanto ma-
jore desiderio et amore complectamur, et quanto
is amore nostri et pro salute nostra vilior factus
est, tanto nobis charior sit.

CONCIO II.

VESTIUM LUXUS DAMNIS ET PERICULIS PLENUS.

Aula perniciosa et periculosa, uti et vestitus mollis. —

I. Quia plurimo constat. — II. Tempus male consu-
mit. — III. Subditos premit et pauperes negligit. —
IV. Multa animæ pericula continet.

THEMA.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Matth. XI.

Non obscure Salvator noster taxat vitam
aulicam velut cœlo parum similem, adeoque
pernicie et periculis plenam, dum Joannem
asperis indutum negat in aulis morari; ubi non
morantur, nisi qui mollibus vestiuntur. In
aulam Assueri memini licebat sacco indutum
ingredi Esther. IV. at in aulam Christi nemini
concessum molli vestitu ingredi; qui vero
sacco pœnitentiæ et amictu aspero induuntur,
locum ibi inveniunt. Ergo vestitus mollis, aulæ
quidam partus est, adeoque aulicum quid. *Quod
enim natum est ex carne caro est*, ait Dominus
Joan. III. et quod ex aula natum, aulicum est.
Hinc nos Germani superbiam appellamus voce
derivata ab aula, q. d. aulicus vestiendi modus.
Quare sicuti partus uterum sequitur, ita et ves-
tium luxus aulæ conditionem. In aulis vero
regum, quid non malorum, quid non periculo-
rum hospitatur? Quod in matre cernitur idem
in filia ejus, superbia, quæ mollibus vestitur,
apparet; uti hic ostendemus.

I. In regum aulis plurimi sumptus fiunt
inutiles et inanes in pompas, ludos, choreas,
spectacula, convivia: qui alioquin maximo
reip. bono fieri possent in pauperes, stipendia-
rios milites, servos bene meritos, etc. Pari
modo in vestitum pretiosum et superfluum
pecuniæ plurimum expenditur, nullo prorsus
fructu, sed magno potius damno. Illud testatur
Jer. c. IV. dicens: *Cum vestieris le coccino, cum*